

9.

LAVREA
DOCTORALIS
Clarissimo consultissimo

que Viro, virtute & eruditione
præstanti,

D. FRIDERICO TITELIO
in inelyta Academia,

JVLIA
quæ est Helmstadij,

Anno Christi, c l. l. c lll. xvi.

Augusti tributa: faustisq; Amicorum Gra-
tulationibus,

Excusis

HALÆ SAXONVM,

Anno & Mense eodem, celebrata.

CLARISSIMO CON-
SULTISSIMOQUE VIRO, DN. FRIDE-
rico Titelio, I. V. Doctore renunciato, salutem plurimam
atq; cœlestem benedictionem ex ani-
mo precatur

*Iohannes Olearius S. S. Theol. D.
Halenſis Eccl. P. S.*



Vm coquit arentes sitibunda canicula mes-
ses:

Erigonemque; subit radianti Cynthius orbe:
Et gravidas tondent Harpæ Corydonis ari-
stas:

Horreaque arborum spolijs propè fessa laborant:

En FRIDERICE tibi, pie Iuris alumne, Tiaras

Iustineaneus, Doctorea mitra, paratur.

Sidus & Astrææ meritam dat ferre coronam

Dilecto capiti, quod honoravêre Camæna.

Quis titulo non huic etiam crescentis honoris

Optime TITELI, faustissima quæque precetur?

Quis, nisi livor iners, non faverit omine læto

Cui mater favet Halla: duplex cui munus ab Alco,

Temporis exigui spacio datur? inclyta nupta

CONSULE MULBECCHIO lata patre: hinc inclyta Laurus:

A 2

IULIA

IULIA quam vigili Themidos largitur Athletæ,
Alter ut & fructus studiorum & meta tuorum,
Cœlitus obtigerit tibi, pro-meritumque coronet?
 Ut tibi collatos cuncti gratantur honores,
Parthenopea fovet proceres quos Aula verendos,
Iustitiæque locus Cancellos inter honores:
Curiaque ut Soceri gavisa labore tot annos,
Exultat Generi studio & mercede laborum
Iudicijsque simul positum prælustre tribunal
Ambiguis, Legum studioso vota rependit
Prospera; qui Pelago sua carbasa tendit eodem.
Ut Schola doctilo quis itidem decorata Magistris
Tota Salinarum reliquis urbs denique membris:
 Sic veneranda tuis Ecclesia jure precatur
Inceptis Superi donaria larga favoris.
Templa favent orsis impensius hisce, quod olim
Voce Parens templis præijt tuus, auspice CHRITO:
Dum Phyliren Musis aptam, Divina doceret
Dogmata sola viam quæ testificantur ad Astra:
 LIPSI A quem genuit, vicinior Halla recepit:
Halla peregrinis & civibus inclyta Mater,
Conjugio velut Halla virum decoravit honesto:
Sic ad Cæsaream Laurum deducitur HELME
HELME, tibi, clarios inter celeberrime montes:
Quo neque Saxonica prælustre Brueterus ora
Nec propior Mysis Petrinus, Athosvé celebris,

Aut

Aut juga Parnassi, Pindivé, aut ditis Olympi
Vberiora ferant Charitum donaria templis:
Ni fera paciferas turbet Bellona Camænas.
Orphea non Rhodope tantum, non Ismarus ingens
Miretur; Clarij non Tmolus stamina Phœbi.

Mandat Halesine deductum dicere carmen
Titeli tibi docte, DE oque ardente litare
Voce precum: felix ut vela secunda Supremi
Numinis Aura vehat; Benedictio larga perennet.
Atque tuæ Astrææ foveatque beetque vigorem.

Quippe ferax HELMVS doctorum fonsque Virorum
Queis Halopegasidum vernant Fora, Tempa, Lycea:
Helmus Halesinæ fraterno foedere junctus
Helmus: Halesinam qui sospite fudit in urbem
Eximios gremio procures: quibus incluta gaudet
Curia Parthenopes: queis sacra profanaque late
Condecorata nitent radiante ut Solis ab aura,

Ergo tibi meritò concors Halopega precatur
Semper honorificis quæ consentanea cæptis
Semper honos, nomenque tuum, titulusque Iehovæ
Serviat ut laudi, Christi que propaget ovile.
Ut Patriæ charis que diu prodesse propinquis
Felici valeas opera, studioque salubri.
Sis que Sacerdotis Themidos, divina subire
Munera perpetuò intrepidè cum laude paratus.

Ibone, quò te cunque vocat DEVS, i pede fausto

A 3

Non

Non hominum curato, neget si causa, favorem?
Sed potius summi decreta tremenda Monarchæ,
Inferioris enim jussis injuria non fit.
Vlla Magistratus, ubi celsior urserit autor.

Vir pius & prudens, consultus juris & actor
Causarum spectatus, inenarrabile donum
Ætherij patris est: Viduis solamen & orbis:
Pes claudis, oculus cæris, tutamen egenis:
Iactatis requies; profugis venerabile Asylon:
Pestis & Antidoton pravis: peccantibus horror.
Nanque Magistratus, Regumque Ducumque labores
Et curas Themidis Mystes examine cauto
Astrææ pensat trutinæ: Nec munere tali
Aula carere valet: non urbs, non arva regenda.

Ipsa etiam Cortyna sacris quæ vocibus ora
Assiduè solvit, quamvis fundata cruore
CRISTE tuo, nullius egens terrestris habenæ:
Nil opis externæ cupiens, nil indiga Pompæ
Præsidij animosa suis invictaque mille
Cladibus, ex alta mortalia respuat arte.

Attamen haud rarò capit à prudentibus æqui
Iustitiæque patrocinium: fruiturque beatis
Subsidijs Legum: Magni si forte Dynastæ
A Sycophantarum circum veniantur iniquis
Et Phlegthonteo bis tinctis felle susurris.

Res sibi divinas simul humanasque tueri

Esse

Esse necesse videt: qui dīa volumina Iuris
Cæsarij didicit: sua scit tribuenda cuique:
Præcipuè his etiam, populis qui sacra fidemque
Sanctificam pandunt: dirimendaque prælia voce,
Codicis augusti Titulo quia principe, Sancta
Præcipitur credenda Trias, doctrinaque CHRISTI
Hinc munita suis Ecclesia legibus: inde
Præsulibus Cleroque etiam decreta feruntur,
Hæretici deinceps fugiendi jure deserto
Nominibusque suis, autorum voce, notandi,
Mandantur: similiq̄ue fide præclara jubentur
Hæretici sanos ne vexent lite Prophetas.

Felices populi, felicia terque quaterque
Oppida, regna, domus, quibus est concordia Mystas
Inter honorataque Dices, Charitisque beatæ.
Ut sua Cæsaribus dentur, sua jura supremo
Salva Creatori, ne pugnent sacra profanis
Ne duo ferali confligant ista duello.

Tu pater Astripotens, qui Regibus atque Dynastis
Terrigenæque potes veram dare cuique salutem.
Quo sine nemo valet quidquam: tu Flamine mentes
Doctorum pariter Iuris, Sophiæque supernæ
Irradia sancto: reliquosque tuere docentes
Discentesque simul: tibi grata, salubria nobis
Ut faciant doceantque: tibi sine fine perennes
Angelicis mixti choreis meditemur ut hymnos.

ALIVD.

ALIVD.



Vi negat ordinibus, divinis iusta statutis;
Carmina Spretor erit Divini numinis, orbem
Numen enim ordinibus coeleste coercuit almis
Sanguinolenta manus crudeles robora vastas
Tradita quæ studijs feritatem oblita priorem
Addidicere pati legum moderamina: gentes

Inde coegerunt cætus: & sanctio juris
Introducta fuit dirimendis litibus; ordo
Civicus; & gradibus statuum Respublica certis
Condita, Mæchanicas; sed plus stabilita per artes
Fonte bonas, usuque pias, veraque celebres
Laude Vecustatis, facti natalibus orbis
Acquævas, rebusque datas succurrere lapsis
Arvigenam; regnis moderari; imponere morem
Paci. Consilijs tractare negotia magnis
Militiæ; sævis ne ardente tumultibus orbe
Bella chaos revocent Antiquum: viribus antecit
Robustis animus Prudens, Sapiencia rerum
Orbem suffalcit; Mundi non angulus ibit
Inficias ullus, nisi quis fortasse Popellus
Anticyris egeat, sceptri splendoreque cæcus
Terreno, amissis rebus captaverit umbras.

Vilius utque animo Corpus, ceumembra relinquit
Occiput à sese, sic litibus apta facultas
Civilis decidendis supereminet artes
Nobilitate Bonas; nec & has sua gloria desit
Ius tamen invitæ modò ne rapiatur honoris
Antiquum; non est Germanica Principis aula
Iure gubernaret, quam non Consultus, habenis
Molicus rerum summam; postponit ineptus

Quas

Quas natura loco statuit Dux optima primo
Aiacem Nestor, Ithacus vincebat Achillem
Hectoraque Aeneas: regna inconcussa que perstant
Consilio munita Bono, legumque statutis
Muneribus radijsque Dei: clarere Monarcha
Pellæus mavult Musis; quam Martis honore
Et Ducis illustri Princeps Alfonso Imago
Viva salutaris, ditissima perdere regna.
Quam disciplinas, mavult: quid nomina dicam?
Induperatorum, quos Exemplaria curas
Doctorum nunquam studijs evolvere magnis:
Arte laboratis noctu impallescere chartis
Notitiam & regnis coemisse potentibus almam
Poenituit; studij multo quæ parta labore
Venit: Tytelius multa quam possidet emtam
Cura, quantus honos? quantum decoramen in illo
Effulgere recens cerno, virtutis in altos
Conscendente lares, auratis Gloria pennis
Ambit, Honosque suis prætexit tempora fertis
Tempora Virtutis Diva redimita corona
Immarcessibili; Pietas rutilantibus ardet
Et gemmis Astræa suis; Chorus accinit assa
Voce laboriferus Pindi, gratatus honores
Tytelio dignos; persona excellere clara
Induto, nihil est cui quod contendere possit
Gymnasijs decore eximio, quæ ponitur æquo
Nobilibus Virtute loco, summisque togatis
Proceribus, seu sceptrum Ducum, seu curia recis
Consilijs moderata, frementeque murmure vulgi
Indignabundo: nam Cæsareana vigore
Majestas legum, voluit Doctoribus ordo

B

Nobis

Nobilis ut constet; quin æqua merentibus æra.
Iure cooptatis Spiræ decidere lites
Indulfit, nec non apices in honoribus æquos
Iulia Tytelio natalibus addit avitis
Et titulis nomen tantum, lauroque decoris
Aureum temporibus, munus diadema Themistæ
Imponit, clarum ceu sydus ut Vrbe coruscet
Anne relinquendus tacitus natalis Honorum
Ille tuus? communis ovet Iulia mater
Iulia Mæonia mihi dilaudanda Camæna
Cum Trias Angelicis circumdata catibus adstet
Inspectetque tuos, præclarum nomen honores
Inspiretque animo, ne cum jam laude coruscet
Magna, neglectam cœlestis gloria sese
Summaque Majestas Verbi præcone queratur
Est is honoratus verè qui numen honorat.

M. Absolon Polleus.

ALIVD.



*St onus omnis honos, Et magna potentia cu-
ras*

Ingerit assiduas, cura pericla trahit.

Non tamen est animus planè abijciendus honorum,

Nam statuum Vita vult Deus esse gradus.

Nec non conspicuos fieri virtute Togata,

Qui regere humanas res studuere sibi.

Quan-

Quantum Onus est regimen Vulgi? res plena laboris
Ni pietas animos vera labore leuet.
Nam Deus eximijs exercet honoribus auctos,
Ipsum ut inoblita corpore mente colant,
Sape vel in fato est habeant ut nomina lapsus,
Res summo tractent quamlibet ingenio.
Nam fortuna loco quos claros collocat alto,
Instruit implicitis insidiosa dolos.
Pectora namq; animat nimio confisa favori
Tollere se, Regum fisa potente manu.
Cum dedit effectum hoc, confestim deserit illa
Atq; ita consilij destitutus nter Ope.
Seu quod linor iners rerum fastigia mordet,
Tentat ut eximium turbet honore Virum.
Ardua saepe premunt sic mole negotia mentes,
Ut nauim pressant magna onera inualidam.
Sic Cicero sic Papiniane peris, sic lucidus Azo
Furis apex, series longa peritq; Virum.
Omnis honos onus est, tranquillam ducere Vitam
Num lateat, Cupidus? non. Vetat ipse Deus.
Seruiat officijs, humanis quilibet aptis
Rebus, Et in medium quod valet omne ferat.

Versus græci latinè conversi.

DOctis celsa patent solummodo culmina ho-
norum,
Ingenij quivis nam bona honore colit.
Præcipue vero queis iustitia aurea cura est,
Laus & honor meritò dignus ubiq; datur.
Legibus hinc pressos iustis qui iudicat, istum
Nomine Divorum nominat ipse Deus.
Talem quin princeps ac induperator amici
Doctoris titulo & nobilitare cupit.
Huic urbs assurgit, patet atq; cathedra Themistis,
Juridico & nunquam curia clausa fuit.
Gaude igitur, Friderice, tibi decernit honores
Namq; Deus, redeunt præmia, sudor abit,
Gaude, nam tanto princeps applaudit honori,
Et tibi gratatur nunc studiosa cohors.
Gaude, doctoris nam spectat amicus honores,
Quamq; marita ferat gaudia læta, vides.
Ille tuum sac honor Deus in quò cedat honorem,
Viq; tuus, nostra sit patria hic & honos
Hic sit honos & honorificus generi opto propinquo,
Et Mulbecciadis hic sit honori & honos.

Ab Henrico Dracostadio.

B 3

ALIVD

ALIVD.

Magnos Titelius titulos adsciscit, honoreis
Consequitur magnos: anne ita Magnus erit?
Magnus erit: præter magnum quia nullus honoreis
Ac titulos magnos quærere iure potest.
Et quem magnificus titulus decorabit, oportet:
Fidus ut & tituli tutor is esse queat.
Ergò Titelij titulos celebrate decoros,
Carmina Phœbææ promite culta lyræ.
Plaudite Titelio Musæ, plenâque pharetrâ
Suavissonum titulis accinitote melos.

*Iohannes Olearius junior,
Halensis Saxo.*

ALIVD.

Derrigena inter se nullo discrimine distant
Nam quæ uno viuunt de genitore sati.
Condidit vnus eos Deus, & mors vnica perdit
Vnius quorum est munere vita Dei.
Personis homines varijs tamen induit omnes,
Omnipotens, varios distribuit quæ status.
Hunc fasit illustri clarum Diademate regem
Crudeli hunc magnum Marte potente ducem.
Ille regit consul; causas alius quæ perorat,
Ille colum tractat, rastra vel astra alius.
Sic regimen certis dispescuit omne ministris,
Instruit & studys de dita corda suis.
Quod Deus instituit petere id sine labe licebit,
Affectans licitum, crimine nempè caret.

N. 10

*Non iniussa petis, sed debita præmia Doctõr,
Soluere quæ tibi nunc Iulia Diua parat.
Aera triumphabit si quem præsentia soluunt,
Te meritis quod honos condecorabit oua.
Pectora iam rectè gaudent affinia tecum
Quod tibi quæsitum est en noue Doctõr habes.*

Augustus Drocostadius
Saxo Halensis.

ALIVD.

Est tibi quod meritò Doctõr Clarissime grator
Est mihi præcipuè nomine cuius Ouo,
Tu petis eximix nam debita præmia laudi,
Quodq; petis confert Diua Themista tibi.
Gratulor ergò nouis ego lætus honoribus illis,
Nam me virtutis gloria clara iuuat.
Atque iccirco animus legat ut vestigia gestis
Exultatque viros nomina magna sequi
Cum studijs constant amplissima præmia rectis
Doctõr in exemplo es iam mihi namque nouus.
Inde fit vt deamem virtutem mente coruscam,
Obquam nunc cerno teque tuosque coli.
Fac Deus vt sit honos vero nouus ille decori
Doctõri, vt laudi seruiat oro tuæ.

Petrus Michaël Mählsbeck
Halensis Saxo.

F I N I S.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.




35. Progr. in Jun. Ottiliae Steinemannii, Conr. Hornings conjug. 1661.
 36. Bodowiciori phil. et theol. stud. 1663.
 37. Fikradri progr. orationi — a Braunfeldt praem. 1663.
 38. progr. in Jun. puellae An. Mariae Krohn. 1666.
 39. — — An. Marg. Vogleri. 1666.
 40. — — puellae Joh. Rinnersi. 1666.
 41. — — Jennelli Joh. von Rinnersi. 1666.
 42. — — An. Eleon. Meieri. 1666.
 43. Carmin. grat. ad Ibsmannum. 1667.
 44. Ode in caritatem. 1678.
 45. Andri. Herm. Hellberg gratulantis Acad. Juliae prof. 1678.
 46. Progr. Henrici Wiedeburgi. 1680.
 47. Festu nupt. Carp. Arnoldi Strambrecht. 1678.
 48. Lact. ac debet. officium ad unicum. 1678.
 49. Pia vota ad laud. Fabricii sponsorem et — sponsam. 1679.
 50. Progr. in Jun. nati. Bornemanniae, Tannemannii viduae. 1681.
 51. Progr. Joh. Reupen. 1709.
 52. Progr. in Jun. An. Cath. Rinerichiae, Hornesii conjug. 1649.
 53. Progr. XII Nov. A 1693.
 54. — in Jun. An. Soph. Schmerhenniae, Sibh. Theod. Meieri vid. 1702.
 55. — Agnesae Krohnen, Carp. Torberii vid. 1712.
 56. Abhandlungssande abguldung von Voigt.
 57. Progr. in Jun. Hamburgii Sizi. 1714.
 58. Catalogus scriptorum in div. acad. editorum. 1732.
 59. Progr. in Jun. Carolif phil. stud. 1757.
 60. Memoria Toppii 1757.
 61. — Seidlii. 1758.
 62. — Laur. Heisteri. 1758.
 63. De vita Frobesii. 1756.
 64. Gratia panegyri. in diem nat. pini. Fridericus V, laus et
 65. De des prius equito. Progr. rari. Christi natal. die. 1759.
 66. Progr. in fest. Michaelis. 1762. —


96
1233

— Nonnulla desunt —


ULB Halle 3
001 920 952





9.


 VRE A
 ORALIS
 consultissimo
 ute & eruditione
 stanti,
 ICO TITELIO
 Academia,
 VLIA
 Helmstadij,
 o. Io, CIII. XVI.
 Faustisq, Amicorum Gra
 tionibus,
 excusis
 SAXONVM,
 e eodem, celebrata.
